



BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
1102

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.

1102



BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.

1102

M. IV. 155.

Epistola ^{brevis} ⁱⁿ ^{causa} ^{non} ^{rubra} ^{ad} ^{ce} ^{causa} ^{causa}

No caput aut agnosce bre pcedet caput

Demostratio d. functionis inferiori sub-
stantia. etiam d. claudunt subitio principio
et propria affectione d. subitio aut quid sunt
aut quid sunt. p. modum d. functionis et rationationis
quia et ad scientia cognita d. subitio quid et qd
sub.

ARISTOTELIS

Liber de Mundo, ad Alexan-
DRAM MACEDONIAM

Regem, Gulielmo Budæo
interprete.



PARISIIS,

Ex officina Gabrielis Buon, in clauso Brunello,
sub signo D. Claudij.

1567.

2

ARISTOTELIS LIBER
DE MUNDO.



MHI quidē saepe diuina quadā res, Alexan-
der, admirationēque digna visa est philoso-
phia: præcipuē verò ea in parte, in qua sola
ipsa sublimē sese tollens ad contēplandas re-
rum naturas, magno illic studio cōtendit exi-
stentē in eis veritatē pernoscere. Et cū cæ-
teri quidē mortales altitudine ipsa rei, atque magnitudine de-
territi, eo instituto abscessissent: dignū id inceptū esse duxit phi-
losophia, quod intrepidē ipsa, nec dubitāter aggredetur. Ea-
rum etiā rerum disciplinam sibi tum cognatissimā, tū maximē
decoram arbitrata est. Siquidem cū per rerū naturam nega-
tum hoc esset homini, cælestem ut in locū corpore se cōferret, ut-
que veluti è terra peregrē proficiscens, locum illum oculis perlu-
straret, id quod stolidi illi Aloidæ quondam facere institerunt:
eo factum est, animus ut humanus huius viæ ducem nactus in-
tellectum, peregrinabūdus illuc importaretur, Ex quo euēnit,
viam cum inuenisset philosophia lassitudinis vacuā atque la-
boris, res ut inter se situ longissimē seiunctas, una intelligentia
complecteretur, facilē nimirum eas res noscitans, queis cum sibi
naturalis intercedit necessitudo. Eadē etiam cum diuino ani-
mæ oculo diuinarū rerum naturam cōprehendisset: hominibus
subinde eas interpretari cæpit, quasiq; antistitis officio perfun-
gi. Id enim libens philosophia faciendum suscepit, ut quas
rescunque præcipuæ commendationis esse existimasset, eas, quo
ad eius fieri posset, inter homines erogaret: quibus utique ipsis
abundē atque prolixē consultum ipsa cupiebat. Quapropter

istos miserari quivis iure possit, ut pusilli animi scriptores, res quaslibet, vulgòque expositas summa admiratione prosecutos, qui nobis unius loci naturam, aut urbis cuiusdam formam situmque, aut magnitudinem fluminis, aut denique amœni montis aspectum describere instituerunt, cum interim magnificè de semetipsis sentiāt ob exilem quampiam naturæ perceptionem cuiusmodi nonnulli magno illi quidem studio fecerunt, accurata ut dictione describerent, hic Ossam montem, ille Nyssam: alij Coryceum specum, alij quidvis eorum quæ inter orbis particulas censentur. Id quod ideo evenit, quòd illis maiora vidisse non contigit: mundum scilicet & precipuas eius partes, Haudquam enim illi tantopere quælibet admirarentur, si hisce contemplandis incubuissent legitima contentione: omnia verò & parva & floccifacienda duxissent, duntaxat præut extat horum excellentia. Proinde dicere ipsi aggrediamur de iis omnibus uniuersim collectis, quàmque fieri potest maximè theologicæ commentatione edisserere, quenam sit cuiusque horum natura, situs, motus. Tibi verò, ut pote imperatorum præstantissimo, hoc quoque decorum consentaneumque esse arbitror, cum maximarum rerum commentationem animo consecrari, tum verò ex philosophiæ studio nihil iam non grande animo agitare: optimates etiam viros iis rebus inuitare, quibus rebus ipsi ab eadem munificè prædito esse contigit.

Mundus est cōpages è cælo terræque coagmētata, atque ex iis naturis quæ intra ea cōtinentur. Dicitur etiam aliter mundus, ordo & digestio uniuersorū, quæ à Deo & per Deum asseruatur. Huius situm medium immotū, & stabilem terræ vitæ fecunditate prædita, sortita est: animantium quidem illa omnifariam distinctarum sedes & parens. Huius uniuersita-

tis suprema pars omnis, omnem in partem finita est & terminata: cuius id quod in celsissimo loco situm est, Cælum dicitur, dei domicilium. Hoc cum diuinis corporibus plenum sit, quæ Sidera nos appellare solemus, motuque sempiterno agatur uno circumactu, orbisque ductu eodem, perenni utique in æuum tenore rapta secum illa circumagit corpora, ad numerum in motumque præfultoris. Vniuersi autem mundi cælique globosa (ut dictum est) forma compacti, iugique vertigine exagitati, duo esse puncta necesse est inter se è regione obuersa, itidem atque si globus in torno circumagatur: stabilia quidem illa, globumque continentia: circa quæ mundus uniuersus vertitur. Hos Vertices appellat, aut Cardines. Per quos si lineam rectam ab uno ad alterum porrectam intellexeris, quam nonnulli Axem vocitant: erit hæc utique mundo linea dimetiens, ita ut terram in medio, ambos autem cardines habeat pro terminis. Qui quum ipsi fixi sint, & immoti: alter eorum semper sublimis apparet super verticem, ad tractum cæli Aquilonarem, ab Vrsa appellatus Arcticus. At infra terram alter semper conditus circa tractum Australem, Antarcticus dictus est, ut contrarius Arctico. Cæli porro siderumque substantiam appellamus ætherem non quidem ideo quod ignita flagret ipsa, ut aliqui censuerunt, plurimum utique aberrantes circa potetiam illam maximè ab ignea natura abhorrentem: origine verò huius vocabuli inde ducta, quod semper æther currat motu circunductili: cum sit illud elementum à quatuor illis diuersum: tum diuinum, tum interitus expers. Eorum verò siderum, quæ intus cohibentur, ea quæ errationis nescia sunt, cum cælo circunferuntur, easdem utique sedes, positusque eosdem tenentia. Quorum medius circulus (cui Signifero nomen est) duos per orbes transuersus cæ-

ARISTOTELES

lum cingit: qui à conuersionibus ipsi Solis, Tropici quasi cōuersionales appellati sunt: in duodecim ille quidem regiones totidem signorum diuisus. At verò quæ erratica dicuntur, nec eadem ipsa celeritate cum prioribus moueri suapte natura comparata sunt, nec inter se inuicē, sed in aliis atque aliis orbibus, ita ut orbium ipsorum partim propius terram accedant, partim sublimē ferantur. Et statariorum quidem numerus iniuri prorsus: nequit ab hominibus: tametsi omnia eadem in superficie moueantur, quæ vnica est totius celi. At verò errabundorum numerus septenario collectus, in totidem orbibus situs est deinceps substitutis: ita ut subinde inferior superiore minor sit septemque orbes sese complectentes inuicem atque coercentes, à globo denique siderum inerrantium comprehendantur. Huic porrò globo contiguam habet semper posituram, Phaenontis simul & Saturni circus dictus. Cui proximus est Phaethontis qui & Iouis appellatur. Post hunc sequitur Pyrois: Hercules idem Martisque appellatus. Ab hoc rursus est Stilbon: qui sacer Mercurio esse creditur: à nonnullis etiam Apollini, Secundum quem Luciferi orbis est: quem Veneris nonnulli orbem, quidam Iunonis vocant. Ab eo est orbis Solis: & denique Luna, nobis citimus, ad terram usque fines suos proferens. Aether verò cum diuina contineat corpora, ratas etiam vices motuum complectitur. At verò aetherea diuinæque naturæ, quam certa lege constare demonstrauius, constitutisque vicibus, mutabilitatis etiam immunem, atque in aliam aliâque speciem conuersionis: confinis est natura patibilis: prorsus & vertibilis, atque (ut in uniuersum dicam) solubilis, & obnoxia. Cuius etiam ipsius principia obtinet substantia tenuitate particularum prædita, flammulisque ignita: quas aetherea natura magnitu-

dine sua excitat, & motus celeritate. Iam vero in natura ipsa ignita, eadēque incondita appellata atque incompressa, tum fulgores emicant, & iacula traiciuntur flagrantia, tum trabeculae, foveae & crinitae fixae visuntur: & saepe restinguuntur. Hanc naturam excipit aër illi substratus: suoque ille quidē ingenio caligine & gelu permixtus, ceterū illustratus, agitatione atque succensus, unde calorem concipit, & claritatē. In hoc autem ipso vim patibilē sortito, omnifariamq; in aliā aliāque naturam cōmeare natura comparato, nubes concrepiscunt: imbres cum strepitu decidunt, niues, pruinae, & grandines: flatus etiā vētorum tempestatūque cientur: simul tonitrua & fulgetra existunt, fulmina inde casitant, sexcēta denique ibidem cōflictationes aëriae opacitatis fiunt. Ab aëria porro natura, Terra protinus & Mare situm habent fixum & affirmatum: stirpibus illa quidem animantibusque scatens: fontibus etiam & fluminibus, partim per ipsam lapsus suos implicatibus partim aquas suas in mare eructantibus. Insuper ipsa distincta simul innumerarum herbarum indidem enascentium varietate, fructificantiumque simul montium verticibus, nemorum opacitatibus, urbiumque frequentia, quas animantes sapientiae participes, homines scilicet, condiderunt: insuperque insulis maritimis, atque continentibus. Orbem verò terrarum hominum ferè sermo in insulas diuisit, & continentes scilicet ignorantiam, uniuersam ipsam terram insulam esse unicam, Atlānici maris ambitu circūdatam. Multas autem & alias longē quidem illas summotas, sed tamen veluti dirimente freto huic ipsi esse obuersas, non absimile veri est, partim hac maiores, partim etiam minores: sed quarum nulla prāter eam sub prospectum nostrum sita sit. Nam quod insulis nostris accidit

ARISTOTELES

undique ut nostra maria eas alluant: idem orbi quoque huic contigit, rationem insulae ut obtineat Atlantico mari cinctae.

Complures item alij terrarum orbes eadem positura constantes, insulae naturam habent in universo mari sitae, quod latissime patet: eorumque nonnulli praegrandes, praegravibus quoque ipsis maribus circumfusus. Enimvero humoris universi naturam finitimam merito esse censeas naturae animabili & aëriae: ita ut ipsa innatabunda existere terram faciat per quasdam saxosas eminentias, quas habitabiles vocamus: postquam protinus in imis mundi partibus & summersis, atque in medio maxime mundi universa iam terra stabiliter defixa compressaque ita constitit, ut immota permaneat atque illabefactabilis. Atque haec est mundi universitas, quam infernam appellamus. Quinque igitur haec elementa in regionibus totidem globose incubantia, mundum ipsum ita totum coagmentarunt, minor ut deinceps atque minor regio à maiore cohibeatur: terra (verbi gratia) ut ab aquae globo, aqua ab aëris, hic ab ignis, ab aetheris denique globo ignis coerceatur: cum interim supremam regionem Deorum fecerint domicilium: infimam, animalium in diem victitantium. Huius porro id quod liquore constat, flumina & scaturigines & materia vocare consuevimus: quod aridum est, terram & continentes insulasque nominamus. Iam insularum nonnullae grandes sunt, veluti haec cuncta habitabilis à nobis iam dicta est, aliaeque quas ingentia maria undis ambiunt circumfluis: aliae minores, nobis notae, & intestinae. Quarum cursus quaedam memorabiles, ut Sicilia, Sardinia, Cyrenus, Creta, Euboea, Cyprus, & Lesbos: quaedam longè exiliores, tum Cyclades, tum Sporades, tum aliae aliis nominibus nuncupatae. Porro autem pelagus quod extra orbem nobis habitatum fuissem est.

& Atlanticum dicitur, & Oceanus: à quo ipsi circunluimur: qui in faucibus ipse angustis, quæ vergunt ad occidentem, veluti via patefacta, qua parte Herculis colūnae vocitatae sunt, eliso fluxu irrumpēs, mare interius efficit: fermè ut dicere eum possis in portum se recipere. Sēsīm deinde amplior infunditur: sinus interea ingentes complectens inter se contingentes: angustis etiam ceruicibus in fauces sese comprimens, vicissimque latius expatians. Ac primū quidem insinuari dicitur dextrorsus ab Herculis columnis intro nauigantibus, circa utramque Syriam: alteram earum magnam, parvam alteram vocant. At verò in alteram partem non iam itidem sinuosus inundās, efficit tria maria, Sardoum, Gallicum, & Hadriam. A quibus cōtinuò Siculū sequitur porrectum in obliquum: quod & ipsum excipitur à Cretico. Cretico cōiuncta sunt parte altera Aegyptium, Pamphylum, Syriū, altera Aegeum & Myrtoum, At Pontus velut antedictis obiectis, atque ex aduerso protensus, multis partibus cōstat. Pars eius in intima penetrās, Meotis appellatur. Quæ autem ad Hellespontum vergit, in fauces contracta est, quam propontidem vocant. Rursus ab ortu Solis in orbem terræ exundās Oceanus infert sese velut in medium procedens, Indico sinu Persicōque perfosso finitimum mare rubrum intercipiens. Ad alterum autem cornu simul atque oblonga ceruice angustāque penetravit, rursus amplificatus, Hyrcaniae fines Caspiæq; amplectitur. Mare verò quod super Hyrcaniam est, vastum illum obtinet locum, qui est super Mæotin paludem. Tum autē qua parte Scythas Celtāsque complectitur, sensim astringit orbem terrarum adusque sinum Gallicum, supradictāsque columnas: extra quas Oceanus terram fluctibus suis oberrat. Quo ipso in mari insulae duae sitae sunt

ARISTOTELES

quammaximæ, quas Britannicas appellant, Albion & Ierna:
 iis etiam maiores, quas commemorauimus supra Celtas iacen-
 tes. Quæis tamen ipsis magnitudine nec Taprobane cedit, nec
 ea cui Phebol nomē est. Illa super Indos posita, situ ad terrarū
 orbem inflexo: hæc ad Arabicum sinū. Sunt etiam non pauca
 sed exigua, circa Britannicas & Iberniā, quæ quasi corona cin-
 gunt hunc orbem, hominum domiciliū, quem superius insulam
 esse differuimus. Huius orbis latitudo quā cōtinēs est amplissi-
 ma, paulò minus quadraginta millia stadiorum patet: ut quidā
 perhibuerunt authores rectæ & exquisitæ geographiæ: longi-
 tudo ad septuaginta millia. Diuiditur porro in Europā, Asiā,
 & Aphricā Europa his finibus circumscribitur: Herculis cip-
 pis, Ponti recessu, Hyrcano mari: secundum quam angustia
 Isthmi similes ad Pontū vsque pertinent. Nonnulli tamen ab
 illo Isthmo Tanain fluuium Europæ terminum esse dixerunt.
 Asia est quicquid terræ situm est ab Isthmo iam dicto, à Ponto
 Hyrcanóque mari, ad Isthmū vsque alterū, qui Arabicū sinū
 interiacet, & mare interius, illum quidē cohibitu ab eo mari,
 & ab Oceano, qui eum cōplectitur ambitu. Sūt qui fines Asia
 statuāt spatium, quod à Tanai protēditur ad Nili vsque ostia,
 Africa ab Arabico Isthmo ad colūnas Herculis porrecta est:
 vel ut alij cēsuerūt, ab Nilo. Nā Aegypti quicquid Nili ostiis
 septum est, alij Aphricæ, alij attribuūt Asiæ. Insulāsque tribus
 terræ partibus adiacētes, scriptorum partim ut exemptiles ab
 orbe terrarum censuere: partim ut contributas iis partibus,
 quibus earum quæque vicinitate coniuncta est. Proinde terra
 marisq; naturā ac sitū huiusmodi prodēda censuimus: quem-
 habitatum orbem appellare consueuimus. Quas res autem tum
 in eo orbe, tum circa eum existere contingit, quibus ille rebus

quodammodo afficiatur: earum ipsarum rerum, ut quæque maximè commemoranda videbuntur, dicere porrò aggrediamur, summam quandam colligentes eorum quæ sunt necessaria. Duas igitur exhalationes ab eo sursum ferri nouimus in aëra nobis impendentem: tenues illas quidem omnino, nec nobis conspicuas: nisi si quid est huiusmodi ad tractus Orientales, & præterea quæ ex omnibus & locis irriguis sublimia ferri videntur. Earum autem exhalationum altera sicca est, in fumumque conformata, è terra manans: altera humida, rosida expirationis plena, ab humida natura exhalata. Ex hac nebula, rores, & gelu omne genus, nubes, pluuie, niues & grandines oriuntur. A sicca autem illa venti & flatuum differentie exoriuntur: tonitrusque & fulgura, turbines & fulmina, aliæque his cognata. Nebula est expiratio quædam rosida, aquæ nequaquam genitrix: ut aëre crassior ipsa, sic nube rarior. Gignitur vel ex nubis primordiis rarefcentibus, vel ex reliquiis nubis. Huius aduersaria ut est, ita esse dicitur serenitas: nihil aliud ipsa existens, quàm aër nubibus nebulæque vacuus. Ros est humidum quid è serenitate concretum, minutumque delabens. Glacies est aqua conferta à serenitate compactilis. Pruina ros est concretus. drosopachne composito nomine dicta est, ros semiconcretus, quasi ros pruinosus. Nubes est crassamentum exhalationum conuolutum, vim habens aquæ gignendæ. Imber fit expressione nubis magnopere adensatæ: tot habens differentias, quotuplex est nubis compressio: quippe quæ remissa si fuerit, molles stirias dispergat: sin vehemens, pleniores. Hocque appellamus pluuiam, imbris contorta stillicidia, cum maiuscula ipsa, tum verò iugitenore casitantia. At verò nix gignitur densitate nubium

friatili: quæ simul ac in aquâ verti cœptæ sunt, in minuta contunduntur cum eo, ut illa contusio speciem spumæ, exactumque candorem: horis autem qui inest, concretio, quique nondum fusus est, nec rarefactus, rigorem efficit. Hæc impetu & confertim decidēs, Niphetos appellatur. Quo genere volutim contorto, libramentumque ex compressu capiente ad celeriorum lapsum, fit quæ grando vocatur: cum interea pro fragmentorum magnitudine quæ abrumpuntur, tum corpuscula maiora gradinis, tum delapsus violentiores fiant. Atque hæc quæ hæcenus dicta sunt, natura vi ab humida expiratione evenire comparatum est. A sicca verò tum ventus oriri solet, cum à frigore, ita ut fluat, illa truditur: nihil ut aliud ventus sit, nisi aër multus fluctuans & coactus, qui etiam spiritus appellatur: quum alioqui spiritus appelletur substantia animata, & genitalis in stirpibus atque in animantibus existēs, per omniaque pertinens: de qua nunc differere nihil necesse fuit. Flatus verò qui in aëre spirāt, vētos: auras, expirationes dicimus quæ ex humore prodeunt. Venti qui è terra vliginosa & humefacta prodeunt, Apogai, quasi terra oriundi: qui è sinibus proflunt, Encolpiæ, quasi sinuales vocantur: inter quos ipsos, eosque qui è fluminibus erumpunt, ex aquisque stagnantibus, intercedit nonnihil proportionis. Ecnephiæ appellantur, qui in fractura nubis, resoluendâque eius crassitudine, colliduntur inter se, quasi quidam nubigenæ. Exhydriæ quasi aquatores dicuntur, qui cum pluviis aquis grassantur impetu & confertim effusis. Et ij quidem qui ab Oriēte iugi tenore perflant, Euri & Vulturni, qui ab Vrsa, Boreæ & Aquilones vocantur. Zephyri & Fauonij, qui ab occasu: qui à meridie, Noti dicuntur & Austri. Vulturorum porro is Cæcias dictus est, qui nascitur

ad ortum solstitialē. Subsolanus ad æquinoctialem: ab brumale Vultur. At eorū qui ex obuersa parte prodeunt, quos Fænonios vocamus, Argestes & Corus ab occasu solstitiali: qui etiam Olympias ab aliquibus dictus est, & ab aliis Iapyx. Fænonius ab æquinoctiali, Africus ab hyberno oritur. At verò Aquilonū is qui Cæcia coniunctus est, peculiariter appellatur Aquilo. Qui autem hunc à vertice statim excipit per Meridianum spirans, Septentrio dicitur. Thrascias deinceps à Coro spirat: quem nonnulli Cæciam appellauerūt. Rursus ex Austris is qui à vertice nobis condito sese infert ex aduerso Septentrionis, Auster nominis prerogatiua dicitur. Qui inter hunc & Vulturum est, Euronotus est vocitatus, quasi dicas Vultur-nauster. Atqui spirat altrinsecus inter Aphricum & Austrum hunc alij Libanorum, quasi Africaustrum, alij Libophœnicem vocant. Ventorum porro quidam flatus rectos, quidam reflexos habent. Rectos habet ij qui lineis rectis semper grassari solent: reflexos & refractos, ut is quē Cæciam nuncupant. Rursus quidam hyeme pollent, ut Austri: quidam æstate, ut Etesie qui dicuntur, id est anniuersarij, cinnum quendam cōficiētes Septentrionum atque Subsolanorū. Orinthia, quasi Auia-rij, venti quidam dicti sunt ex Aquilonio genere, verno tēpore inualescentes. Cæterum è genere violentiorum flatuum, Catagis nomen est flatus ingruentis supernè, repētēque euerberantis. Thyella flatus est præualens, qui repētē profilit. Lælaps & Strobilus nuncupatur, qui infernè sursum versus repētē conuoluitur. Anaphysēma quasi efflatus terræ, dicitur ventus sublimem sese rapiens: cū aut è specu altius depresso flatus emicuerit, aut è terra in hiatum discedente: qui Turbo terrestris est tum, cū multus ac contortus ferri cœptus est. Flatus verò

ARISTOTELES

in nube implicitus, & crassa & humida, continuatum nubis
 spissamentum violenta eruptione perfringens, mugitum edere
 cum ingenti fragore solet, qui Tonitru dicitur: modo haud absi-
 mili spiritus vehemēter in aqua impulsus. Fulgetra est spiritus
 ignitus & coruscās, dum nubes dirumpitur: quæ tonitru ante-
 cedere solet, cū tamen post ipsum fiat. Siquidem quod oculis
 percipitur, ei quod auribus obiectū est, anteuertere natura cō-
 paratum est: quippe illo è longinquo aspectabili: hoc tum de-
 mum exaudibili, quum auribus appulsum sit: præsertim quan-
 do alterum omnium naturarum celeritate maxima præditum
 est, ignita scilicet natura, alterum minus volucres, quod est natu-
 ra spirabilis & aereæ, non antequam aures pepulerit, ad audi-
 tum peruenit. At verò quod fulserit, si ad terram vsque cursim
 illisum sit, Fulmen vocatur: Sin semiussum quidē, sed uniuersum
 tamen violentūque incubuerit, Prester, hoc est accensus
 turbo, dicitur. Quòd si prorsus ignis nihil interim conceperit. Ty-
 phon vocatur: qui est vortex procellosus & euerberans. Horum
 quicquid in terram impetu decubuerit, Sceptos, id est Fulmen,
 nominatur: qui Psolois dicitur, cū fuliginem cōtraxerit: Ar-
 ges, si raptim emicauerit: Elicias, si lineari specie conformatus
 est. Scepti dicuntur quæcunque fulmina, in quiduis illisa sint.
 Ad summam, eorū quæ in aere apparent, alia specie tenus exi-
 stunt, alia etiam habent naturæ subsistentiam. Specie tantum
 exhibēt arcus caelestes, & Virgulæ, aliæque huiusmodi. Sub-
 stantia etiam apparent fulgores caelestes, & quos emicātes vo-
 camus, & crinitæ stellæ, & iis similia. Arcus est species segmē-
 ti solaris vel lunaris, edita in nube humida, & caua & perpe-
 tua: quā velut in speculo intuemur, imagine relata in speciem
 circularis ambitus. Virga est arcus caelestis exhibitio in directū

conformata. Area est edita imago siderea claritatis undique illustrata: haecenus ab arcu differens, quod ille è regione Solis ac Lunæ visendū se exhibet, quā area sidus totū ambitu cingere orbiculari soleat. Fulgor est ignis collectio, qui in aëre exarsit: per calum ille quidem aut iaculari specie transmeans, aut uno loco fixus. At ciaculatio, ignis est enatus, attritu in aëre pernici motu inuehens, ob eamque pernicitatem oblōgam formam simulās. Fulgor fixus est extensio longè porrecta, & loco permanens, & tanquam profluuiū sideris. Quod si in alteram partem dilatetur, Crinita stella vocatur. Sæpenumero autem euenit, ut fulgores tempore multo maneant: sæpè ut confestim extinguantur. Complures item & aliæ rerum formæ cernuntur in cælo apparentiū: ut quæ Faces, quæ Trabecula, quæ Dolia, quæ Scrobes nūcupantur: omnia ab earum rerum similitudine appellata, unde nomina mutuata sunt, Eaquæ partim in occidua mundi parte, partim in Oriente cernūtur, partim etiam ambiguo in utranque partem editu: rarò vel Septētrionali, vel Austrino. Cæterum omnia incerta. Quippe nihil huiusmodi haecenus proditum est memoriæ ita fuisse cōstabilitū raro situ & constituto, ut semper conspicuū fuerit. Atque huiusmodi sunt, quæ in natura animabili aëriaquæ sunt. Iā verò Terra continet etiā ipsa in se, ut aqua, ita spiritus ignisque scaturigines, quarū quædam sub terra latēt, oculis humanis subductæ, multe spiracula habēt, emissariaquæ vaporis: ut Lipara, ut Aetna, ut Aëliæ insula, quæ quidē sæpè & ipsa fluminū more fluunt, ignitāsque ferri glebas euomunt. Nōnullæ verò huiusmodi scatebrae secundum fontes sitæ, aquas inde manantes calefaciunt, aliqua inde ut tepētes, efferuescētæ aliæ, quædam modicè temperatæ ut emittantur. Multis etiam in locis Orbis, exitus spiri-

tuum pari ratione patefacti sunt. Quorum partim fanatico
 furore afficiunt homines propius accedenteis: partim tabifica
 vi absumunt, partim fatidicos efficiunt, ut Delphici & Leba-
 dici: sunt & qui prorsus enecent, ut in Phrygia. Frequenter fit
 etiam ut cogenitus spiritus in terra conditus, cum aberras in-
 sinuarit in abstrusos quosdam eius atque cacos meatus, quasi
 sedibus suis erumpens, multis in locis vibrantem motum cieat.
 Est etiam nec raro, cum flatus aduena, introrsus in terra caua
 irrumpens, deinde exitu omni exclusus, intus sese versando, in-
 genti vi terram quatiat, ne quicquam exitum inde queritans:
 ex quo fit natura facinus, quod vocamus Terræmotum. Terre-
 motuum autem ij qui ad angulos acutos in obliquum quatiunt
 Epiclintæ appellantur, quasi in transuersum se agētes. Sursum
 verò deorsumque ad angulos rectos iactātes, Brastræ vocantur à
 similitudine aquæ efferuescentis. At qui labes terræ relinquunt
 in caua subsidentis, ab hiatu Chasmatie nominati sunt: Quem
 hiatum ij qui vi eruptione facta patefaciunt, Rhectæ, id est ef-
 fractores, dicti sunt. Iam horum aliqui flatū secum erupturum
 rapiunt: alij saxa, alij cœnum. Sunt qui fontium scatebras edi-
 dere, quæ antea non erant. Ostas, id est trusores, vocāt, qui uno
 obnixu subuertunt quod impulerūt. Sūt etiam qui quassabun-
 di, atque utroque declinātes vibrātesque, quod mouerint, sem-
 per erigūt: ob id Palmatie, hoc est vibratores, dicti: efficiūtque
 terræmotum tremoris non dissimilem. Appellātur etiam My-
 cetie, terræmotus qui cum mugitu quatiunt: indito ob id no-
 mine: quanquam sæpe terræ mugitus absque terræmotu conti-
 gerit: id quod assolet, quum spiritus impar quatienda terra
 fuerit, intusque cohibitus ac conuolutus arietarit impetu velle-
 menti. Adde quòd flatus qui terram subierint, corroboratio-

res sũt à liquoribus terrenis, qui intus cõditi sunt. Proportione
 his respondent ea quæ in mari eueniunt. Nam & hiatus fiunt
 maris, & recessus: undarũmq; excursiones, interdum reciproca
 tes, interdum eluue retro non recurrente: id quod proditum est
 circa Buram Helicẽmque contigisse. Sæpenumero etiã in mari
 euaporationes ignis existunt, fontes excaturiunt, ostia fluui-
 orum aperiuntur, arbores enascuntur, fluxiones & vortices exi-
 stunt, instar eorũ habentes quæ à flatibus designari dictum est
 non in medio mari modò, sed etiã in euripis & in fretis. Aiunt
 etiã multos æstus undarũque sublaciones statis quibusdam
 temporibus cum Luna circumagi. Atq; ut in vniuersum dicã,
 cum elemẽta in aëre, in terra, & in mari, cõmoda inter se tem-
 peratura mixta sint, nimirũ affectionũ quoq; similitudines iis-
 dem constant in ipsis: in singulis illæ quidẽ naturis ortu alter-
 nates & interitus, vniuersitatem verò asseruãtes generationis
 immunẽ, atq; corruptionis. Tãetsi extiterunt, qui sese admirari
 addubitabundi dicerẽt, quĩ fieri tandẽ posset, si è principiis con-
 trariis mundus cõstitit, siccis dico & humidis, frigidis & cali-
 dis, ut iandiu nõ dissolutus fuerit atq; interierit. Perinde quasi
 mirari quisquã debeat, quonã pacto ciuitas incolumis perdu-
 ret, quæ è gentibus contrariis composita sit, egenis inquã & di-
 uitibus, iuuenibus & senio cõfectis, infirmis & valẽtibus, pra-
 uis atq; innocẽtibus. Ignorãtia est ista utiq; hominũ, hoc esse in
 concordia civili nõ videntium longè admirabilissimum, quòd
 ex multis ipsa vnum efficit affectum, & è dissimilibus similem
 omnis illa quidem naturæ susceprix & fortuna. Atque haud
 scio an etiã cõtrariorũ appetens sit natura ex eisq; cõsona, non
 item è similibus conficiat. Sic certè ipsa marẽ cum fœmina con-
 iungit, non etiam cum suo horum utrũque sexu. Quin primam

ARISTOTELES

etiam concordiam per contraria, nō per similia deuinxit. Adde quod ars naturæ emulatrix hoc idem facit. Siquidem pictura alborum nigrorumq; colorum, luteorumque & rubrorum naturas inter se attemperans, effigies rerum efficit consonas exemplaribus. Musica acutis & grauibus sonis, longisque & breuibus unā permixtis in diuersis vocibus, unum ex illis concentum absolutum reddidit. Grammatica ex elementis vocalibus & mutis inuenta temperata, artem omnem literaturæ ex illis compositam reliquit. Hocq; nimirum illud est, quod apud Heraclitum legitur, Scotinum ab obscuritate cognominatum. Crispa (inquit) & minimè crispa unā vinxeris, cōsentiens & dissonans, consonans & dissonans: unum etiam ex omnibus, omniāque ex vno. Itaque vniuersorum coagmentationem, calinquam & terræ, & vniuersi mundi, cinnō quodam principiorum summe contrariorum commode attemperato, natura ipsa digessit una eadēque concinna cohærentia: quippe siccum humido, calidum frigido, graui leue mixtum, & rectum orbiculari. Terram etiam omnem, omne mare, ætherem, Solem, Lunam, & postremò totum cælum, vis una per omnia pertinens, certo ordine descripsit, concinnēque digessit: è diuersis ipsa naturis atque impermixtis, aëre, terra, igne, & aqua, mundum architectata. Quūque eum etiam globosa superficie comprehendisset: naturas quam maximè contrarias, veluti edicta cōcordia & imperata, adstrinxit ad cōsensum mutuūque cōmertium: cuiusmodi rerum molitione vniuersitati ipsi salutem machinata est. Huius autem rei causa est concordia elementorum. Concordiæ porrò causa est æquabilitas, & quod alterum altero non plus pollet: ad æquilibrium enim adæquant graui cū leuibus, calida cū iis quæ ipsis opposita sunt: natura utique

nos docente in maioribus, æqualitatem tutricem esse concordie
 & seruatricem, concordiam autem mundi esse salutem, re-
 rum omnium parentis, ac longè omnibus præstantis pulchritu-
 dine. Nam quæ tãdem natura præstabiliior ipso? Quam enim
 dixeris cunque, eius utique ipsius mundi pars erit. Nam quic-
 quid pulchritudine præditum est, id quasi gentile mūdi, habet
 cum eo nominis societatem, adeo quod rectè atque ordine con-
 stitutū est, id à mundi nomine concinne digestū græco sermone
 cōsentaneaque partium cōpositione speciosum esse significatur.
 Ecquidnam est autē singularū partium, quod cum eo æquipa-
 rari possit ordine, quo cælestis motus temperatus est & consti-
 tutus? Sole utique & Luna, reliquis item sideribus intra spatia
 semouētibz exquisitissimè emodulata, à seculo in seculum al-
 terum. Age, ecquæ tandem vices tam ratæ esse possunt, quàm
 est exactè comparatus à natura tēpestatum anni tenor in or-
 bem redeuntium? omnium ille quidem rerum fœcūditate præ-
 ditus: æstates deinceps, hyemēsque referens temporibus desti-
 natis: simul dies & noctes inoffensis vicibus alternātes: è qui-
 bus menses annūsque cōficitur. Ac magnitudine quidē ambi-
 tum longè summum complexus, motu pernicissimo circumagi-
 tur: claritate syncerissima præditus, vi etiam potentiāque frē-
 tus exorte ut senij, sic interitus, Hic omnium animantium na-
 turas, tum aquatiliū, tum pedestrium, tum etiam in elemen-
 to spirabili victitantium, segregat: iisque spatia vitæ suis ad-
 metitur motibus. Ex hoc animam ducunt omnia: ab hoc ani-
 mam habent animantia: ex hoc denique miracula rerum no-
 uarum existunt, quæ statim temporibus efficiuntur. Vis ven-
 torum omniuaga in seipsa conflictatur: Fulmina è cælo ca-
 dunt: Pluuiæ procellosæ atque stupendæ subitos fragores edunt.

ARISTOTELES

*Vnde fit, ut & vi humoris expressa, & vi ignea difflata cōsti-
 tuatur vniuersi cōcordia. Iam verò terra omni genere vestita
 stirpium fruticantium, riguisq; exuberās larga erumpentibus,
 trita vestigiis animantium, quæ in ea passim circumferuntur, o-
 mnia tempestiue proferens ex sese & vegetās, hospitāliq; sinu
 excipiens, cum innumeras ipsa rerum formas perferat, ab eisq;
 multipliciter afficiatur: nihilo secius tamen naturam asseruat
 indomitam senectute, quamlibet ipsa motibus contremefacta,
 undis superfluentibus proluta, incendiis denique inflammata.
 modò hac, modò illac parte sui. Quinetiam illa ipsa omnia cen-
 seri merito possint incolumitatis eius causa cōmode euenire, sa-
 lutēque illi sempiternam præstare. Siquidem ea motu quassa-
 ta, continuo profiliunt venti qui introrsus insinuarant: utique
 spiraculis terrarū discessibus patefactis, ut superius dictum est.
 Imbribus etiā tum expurgatur, cum omnia pestifera in ea ab-
 luuntur. Ad synceriorēque cōstitutionē super subtēque tum
 reducitur, quum auris perspiratur. Et conflagrationes quidem
 quod concretius est terræ, concoquunt: congelationes item quod
 inflāmatū est, id attēperant ipsæ atque remittūt. Ac singularū
 quidē rerū aliæ oriuntur, aliæ vegetātur, & aliæ occidūt: cum
 interim ortus cōpescāt grassanteis interitus, rursusque interitus
 rerum leuēt ortus exuberāteis. Vnica verò ex omnibus cōflata
 incolumitas permanet ipsa in æuū: cū inter se rebus ex aduerso
 obsistētibus, & cedētibus vicissim atque preualētibus, vniuersi-
 tas cōseruetur in sempiternū, noxā nullā contrahens. Restat ut
 summatim de causa differamus, quæ cūctarū ipsa rerū vim ha-
 bet tutricē & cōtinētē, quēadmodū cætera perstrinximus. Fla-
 gitij enim instar esset, cū de mundo dicere instituerim, tractatu
 si minus exquisito fortasse, at certē q̄ sat esse possit ad formulā*

doctrina crassiorē intactā precipuā mundi partem principemq; præterire. Vetus igitur sermo est, à maioribusq; proditus inter omnes homines, vniuersa tum ex Deo, tū per Deū constituta fuisse atque coagmentata: nullamq; naturā satis instructā ad salutem esse posse, quæ citra dei præsidium suæ ipsa demum tutela permissa sit. Quocirca veterū nonnulli eorūque prouecti sunt, ut hæc omnia dictitarēt decorū esse plena, hauririq; eorū spectra ab hominibus oculis & auribus, reliquisque sensibus: sentētia illi quidem fundamenta iacentes diuinę fortasse potētia, non item diuinæ naturæ congruētis. Etenim cūctorum quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus: tum verò quæcunque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium idem genitor est: non sic tamen, ipse ut opificis in morem, animalisq; lassitudinem sentientis, laborē affici possit: ut qui ea facultate utatur, quæ nulli cedat difficultati: cuius ipse vi facultatis omnia in potestate continet: nec minus etiam quæ longius ab ipso videtur esse summota. Summam igitur & primam sedem mundi sortitus, ea de causa Hypatus, quasi supremus appellatus est: & (ut inquit Poëta) in summo culmine vniuersali suum habet ipse domicilium situm & collocatum. Maximè verò vim eius sentit, numinēque eius ante omnia fruitur id corpus, quod proximè eum situm est: tum quod secundum ad hoc situm habet: & vnumquodque deinceps, prout situm ordo ad nostrū vsque locum natura constitutus est. Quo fit ut & terra & terrena omnia quàm lōgissimè ab diuinitatis adminiculatione abscedunt, tã infirmitate summa sint ipsa cōcinnitatīsq; sibi cōsentaneæ maximè expertia: atq; ideo multo tumultu exagitata. Atqui cum ita sit numen diuinū natura sua comparatum, quoquo ut versus permeet: nimirum ea in

ARISTOTELES

quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoque sentiunt. Proinde id præstabilius esse censemus. Deoque tum decentius, tum magis consentaneum, ita de eo opinari, ut dicamus, potestatem illam in cælo sedes suas habentem, incolumitatis causam rebus uniuersis præstare, iis quoque quæ longius ab ea remota sunt: nec illis assentiri, qui eam ipsam potestatem per omnia pertendent, & ventitatē ad ea quoque quæ nec adire ipsam honestū est, nec dictū speciosum, sua illic opera efficere cõtendunt, resq; terrenas administrare. Atqui ne ex hominum quidem principū dignitate esse dixeris, cuiuslibet operi incubere: ut (verbi gratia) exercitus ducis, aut urbis præfecti, atq; etiam domus primarij dispensatoris, si fasciculum sarcinarium cõponere, aut viliores aliquam operā obire vsu venerit ut necesse sit, cuiusmodi munere, magni Regis tempore, ne quoduis quidē mancipium eius facile obuiisset. Quippè (ut proditur) visenda quedam species Cæbysis, Xerxis, & Darij regnantium, in exquisitū maiestatis fastigiū exornata erat, cõpositaq; magnifice, omnibûsq; numeris venerationis augusta. Et quidem (ut fama est) Susis ipsi aut Ecbatanis sedibus collocatis, procul hominū cõspectu regiā sane admirādā obtinebat, ambitu septā auro electro, eboreq; fulgenti: cui vestibula multa erant atriaq; continētia: multæ verò ianux, multorum stadiorum interstitiis ita dimensæ inter se atque diremptæ, ut aditus aneis foribus murisque magnis obstructi atque muniti essent. Tum autem viri principes & lectissimi in stationes digesti erant, atque decurrit recte atque ordine: pars munere stipantium Regem ipsum fungentes, eique famulantium: pars custodes circa septa regia appositi, (ianitores emissariosque appellabant) cū interim Rex

ipse, qui idē Dominus Deusque vocitabatur, omnia & videret & audiret. Ab his item erant alij vectigaliū quæstores obventionūque constituti: alij duces tum bellici, tum venatores alij coactores munerarij: alij denique munerum reliquorum curatores, prout vsus ratioque administrandarum rerum ferebat. Tum autem vniuersum Asiæ imperiū, Hellesponto quidē ab Occidentis partibus terminatum: India autem ab Orientis, regunt pro potestate Praetores, Praefecti, & Reguli, serui regis ipsius qui magnus appellatur. Cursores etiam, exploratoresque, statores, & custodes stationarij, & denique specularij excubitores. Quorum erat ipsorū is apparatus, ea descriptæ collocationis ratio, tam rato ordine vices munerum constitutæ: & praesertim eorū qui ignes edere prænuncios, & tollere è speculis soliti sunt, deinceps in aliā illi quidem ex alia dantes accipientesque signū in orbem: ab usque finibus imperij ad usque Susa & Ecbatana, quicquid rerū nouarum quisquā in Asia moliretur aut inceptaret. Rex vt ipse vno die rescisceret. Atqui statuere non oportet, magni ipstus Regis fastigiū, prout quidem est Dei eminētia, qui pro potestate Mundū tanquam provinciam obtinet, tam esse infimum, quā esset summū hoc ipsum Regis fastigium, si cum animāte quodam vilissimo atque infimissimo componeretur. Quapropter si è dignitate regis haud quaquam esset, Xerxem functione propria administrare omnia & absolvere quæcūque facta cuperet, ne ipsum quidem operibus faciendis instantem, curatoris operum officio perfungi: longē id mirum minus Deo conuenit. Quare augustius id decentiūque existimandū est, Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertinens, tum Solem Lunāque moueat, tum cælum omne circumagat:

simulque causam præbeat eorū quæ in terra sunt, salutis atque incolumitatis. Neque verò illi ipsi itidē ut principibus mortaliū, opus est aut artificiosa molitione, aut alieno ministerio: quando ij propria infirmitate præditi, operarum decurias rebus conficiendis, & numerosas manus adhibent. Illud autem diuinitati maximè cōsentaneum, ut formas rerum omnium citra difficultatem simplicique motu absoluat: non secus atque illi machinatores solent, qui instrumento uno dimittendo multos & varios effectus edunt: aut ut illi præstigiatores faciunt quos *νευρόμαχος* ob id appellant, quòd imagunculas animatas esse fidiculis ductitandis ementiuntur: qui cum funiculum ipsi aut neruum adduxerunt, cieri ceruicem & manum quasi animantis simulachri, humerūque itidem & oculum faciunt interdum etiam omnia mēbra: idque quadam cum venustate atque æquabilitate motus. Hoc igitur modo natura diuina ab uno eodēque simplici motu primo vim suam immittit in ea quæ sunt primò continentia, ab illisque subinde in ea quæ longius atque longius absunt, quoad permeauerit per vniuersa. Quippè alterum ab altero motum, rursus ipsum quoque aliud mouet cum mundo: quum vnumquodque interim agat conuenienter constitutioni suæ, nec tamen eadem sit via omnibus, sed diuersa, nonnullis etiam contraria: tametsi primus illis velut ad concentum atque æquabilitatem auspicatus, natura sit comparatus ad vnum motum: similiter atque si quis ex eodem vase simul iaciat globum, tesseram, turbinem, & columellam. nēpe vnumquodque eorum accommodata suæ formæ mouebitur. Aut si quis animal vnum aquatile, aliudque terrestre, & aliud volucre, è sinu suo emittat: planū est enim quòd natatilis eo profiliens enatauerit, ubi ei commodum est victitare:

terrestre ad suas sedes, pascuâque sua erepserit: ut aërium è terra sublimè raptum euolauerit: una utique eadèmq; prima causa propriam eorum unicuique aptitudinem reddente. Eadèmq; ratio est in mundo. Siquidem ab una calì uniuerſi conuersione, quæ die noctûque finitur, aliæ atque aliæ permeationes fiunt. Quùmque uno omnia coerceantur globo, pars tamen celerius, pars mouetur tardius: nimirum interuallorum longitudine & singulorum opificio eam differentiam efficiente. Et Luna quidem mense suum peragit orbem, augescens vicissim, imminutâque & tabescens. Sol anni spatio suum orbem metitur, & qui eum æquant cursu Lucifer & Mercurius. Pyrois spatio altero tanto maiore. Iouis stella spatio Pyroëntis sexcupli. Vltima, Saturni quæ dicitur, tempore sesquiplo maiore, quàm quantum est id quo circumagitur illa quæ infra ipsam est proximè. Qui verò ex omnibus concentus existit consonantibus in calo, chorûmq; conficientibus: ut ex uno ille quidem oritur, ita in unum desinit. Vniuersûmq; ipsum commodius ^{νόμος} nominaueris, id est compagem rerum compositam, concinnôque ordine digestam: quàm ^{ἀνομήα} ἀνομήα, id est congeriem confusam & inconditam. Quemadmodum porrò fit in choro, ut auspicianti præſuli aut præcentori accinat omnis chorus è viris interdum fœminisq; compositus, qui diuersis ipsi vocibus, grauib; scilicet & acutis, concentum attemperant: eandem ipsi rationem statuimus & in Deo, qui vniuersum mundum moderatur & regit. Et sidera enim semper, & vniuersum ipsum calum, eos ad numeros mouentur, quos Deus sursum quasi auspiciando præcinendoq; emodulatur: quem à similitudine sanè congrua Coryphæum mundi rectè appellaue-
ris, quasi præſultorem ipsum, huiûsque chori magistrum. Ge-

minis autem itineribus. Sol ingreditur, lumine suo cuncta quo-
 quouersus collustrans: diem noctemque altero itinere distermi-
 nans, ortu suo scilicet, & occasu: altero quatuor anni tempora
 secum ductitans, ultrò citròque per cælum perreptando, nunc
 Aquilonius ipse, nunc Austrinus. Quid dicam pluuias
 tempestiuè existentes, ventos & rores, omneisque permotio-
 nes quæ in aëre eueniunt à principe rerum causa atque primor-
 diali? Adde fluminum lapsus, maris æstus intumescens, ena-
 scentium arborum incrementa, frugum maturitates, foeturas
 animalium: denique vegetationes rerum omnium adolescen-
 tium primum, deinde tabescentium, eodem accedentibus cau-
 sis (ut dictum est) à constitutionibus singulis rerum atque opi-
 ficiis. Itaque ille omnium princeps parénsque, animi tantū sen-
 su spectabilis, simul ac signum naturis dedit inter cælum ter-
 ramque vehētibus: earum unaquaque in orbibus suis ingi mo-
 tu cietur, atque intra suos limites, alternis condita atque ap-
 parens: sexcentas illa formas eodem à principio exhibens, vici-
 simque subducens. Quod verè in hisce rebus agitur, magnope-
 re simile est iis quæ belli tempore inter homines factitantur.
 Nanque statim ut classicum exaudiri in exercitu cœptum est
 alios ipse videas scuta sibi aptantes: lorica alios induentes:
 alios ocreas vel galeam sumere, vel balteo se cingere festinan-
 teis. Rursus videas qui frenatos equos admittāt: alios qui cur-
 rus conscendant: qui denique tesseram per explicatam aciem
 prodant. Tum manipuli ductor, ad manipulum: Centurio ex-
 currit ad centuriam. Postremò equites ad cornu: velites ad sta-
 tionem quisque suam festinant: cum interim sub uno ducto-
 re omnia moueantur: qui imperia & ipse significanda accepit
 ab eo, apud quem summa est imperij. Eodem nos & ipsos mo-

do cēfere cōuenit de vniuerso. Quum enim ab vna vi impultrice ciantur omnia: fit utique quod cuique commodum est & conueniens. Nec verò si ea vis ipsa nec cerni ab hominibus, nec apparere potest: quoquo pacto id obstat, aut illi ab ea quæ diximus agenda, aut nobis ad fidem hisce rebus accommodandam. Nā & anima ipsa qua viuimus, qua vrbes, qua domos habitamus, cum haud quaquam sub aspectum nostrum sita sit, operibus tamen ipsis videtur: omnisque vitæ cultus nitorque ut ab ea inuentus est & descriptus, ita ex ea tenorem suum seruat: Terræ cultura & consitio, artium excogitationes, vsus legum, Reipub. rectè atque ordine constitutæ ratio, administrationes ciuiles, bellum extra fines patriæ, & rursus pax in ea. Proinde hac etiam de Deo sentienda nobis sunt: illo quidem, si vim spectes, valētissimo: si decorem, formosissimo: si vitam, immortalī, denique si virtutem, præstantissimo. Quapropter cum sit incōspicibilis naturæ omni interituræ: ipsis nihilo secius ipse cernitur ab operibus. Atque ea quidē quæ in aëre sunt quoquo modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certè Dei opera esse merito dixerimus: Dei inquā opera, cum imperio summo Mū dum ac pro potestate obtinentis. Ex quo Deo, ut inquit Empedocles physicus.

„Omnia quotquot erunt, quot sunt præsentia, quōtque

„Orta fuere antehac, stirpes, hominēsque, feraeq; ,

„Inde etiam volucres, piscēsque humoris alumni.

Enimvero non tam absurda quàm pusilla comparatio (ut opinor) fuerit, si Mundum cum illis lapidibus componamus, qui in operibus fornicatis, forficis in modum dispansi conformatis structura sese intersecante, umbilici vocantur. Etenim ij lapides in medio collocati, qua parte scilicet utroque versus stru-

ARISTOTELES

Ætura arcuata pādatur, quasique oneri cedit: in cohærentia continent, atque in constructione ordinata totam formam operis, immobilēque asseruant. Fama est etiam Phidiam illum statuarium, quum Minervam illam quæ est in arce, coagmentaret, in medio eius scuto faciem suam expressisse, oculosq^{ue} fallenti artificio itá deinxisse simulachro, eximere inde ut ipsam si quis cuperet, minimè posset, aliter quidē certè, quàm ut ipsum solueret simulachrum, opusque eiusmodi cōpactile confunderet. Hanc eandem igitur rationē Deus habet in mūdo: ut pote qui uniuersorum coagmentationem cohærentem cohibeat & coarctet, incolumitatēque uniuersitatis conseruet: nisi quatenus non medio ille loco, in terra scilicet, ubi turbida regio est: sed in excelso situs est, purus ipse in puro loco. Quem locum tum <sup>ἐξ-
ὅθεν</sup> ab origine vocis dicimus, quasi terminum extimum supremorum corporum: tum etiam Olympum, ut usquequaque lucidum, ab omni caligine secretū, motūque omni incōdito, cuiusmodi sunt qui apud nos venti fiunt & tempestates. Id quod his verbis significat Homerus:

Esse solum diuis subnixum semper Olympum
Fama est, haud ventis tremefactum, haud imbris vldum,
Ac procul à niuib^{us} subductum: nubibus illinc
Splendida summotis candēnsque expanditur æthra.

Huius autem rei elogium est mortalium consensus, regionem mundi summam non dubiè Deo tribuentium. Quam ob causam ipsi manus tollimus sursum inter vota concipienda. Quæ ratione nec male illud quoque ab eodem poëta pronuntiatum,

Cælum sorte tulit simul æthera Iuppiter altum.

Quin etiam quæ maximè eximia sunt inter res sensu perceptas, eundē illa locum obtinēt: ut sidera, ut Sol & Luna. Vnde

fit, ut caelestia cōcinno ordine digesta, suas ipsa vices conseruent perennes & constitutas, nullique obnoxias mutationi longè illa secus atque terrena: quæ ita natura cōparata sunt, ipsa in alias ut ex aliis affectiones trāseant, fierique identidē altera atq; altera nō respuant. Certè cōtigisse aliquando cōstat, ut terramotus violētia, terra ipsa multis in locis discesserit, indēque hiatus extiterint: ut imbres vi maiore ruētes, diluviū in terrā intulerint: ut excursiones undarum, recessusque tum cōtinentes mari obruerint sæpenumero, tum rursus maris alueos adiecerint cōtinētibus: ut vis flatuum & vorticum oppida funditus disturbaret: denique ut incēdia atque inflammationes aliquæ supernè delapsantes, partes orbis exusserint versas ad Orientem: ut Phaëthontis tempore cōtigisse dicitur: quædam etiam vi è terra erumpētes, veluti expirabundæ idem fecerint: ut quum crateres Aetnæ abrupta terra patefacti, conflagrationē emisissent instar torrentis per terram grassabundam. Quo tempore qui è mortaliū genere pietate erant imbuti, ij à numine diuino eximio honore ingentiq; affecti sunt. Siquidem iuuenes & robore valentes, cū parentes suos ætate iam cōfectos humeris sustulissent, igneo flumine iam iam opprimēdi, in eo erāt ipsi ut interirent: cum ecce flumē ipsum ita se scidit, ut huc & illuc diuersi fluctus digrederētur, iuuenēsque intactos cum senibus trāsmitterēt. Vt verò summatim iam loquamur: quod in naui gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu: hoc Deus est in mūdo. Nisi si hætenus interest, quòd labor & motus multiplex illos exercet, & curæ angunt variæ: cū huic illaborata succedāt omnia: omnis molestiæ expertia, citraq; corporis infirmitatem: quippe cui in loco stabili immotoq; collocato, omnia mouere &

ARISTOTELES

circūagere pro arbitratu liceat, quo libitum est cunque & quomodo libitū est. idque diuersis in formis simul atque naturis. Id autem ratione simili facit ille, atque lex ciuilis: quæ immobilis ipsa existens in utentiū animis, regit omnia ad Rēp. pertinentia. Et ciues quidē quasi eius affeclæ in medium prodeunt: qui autem Principes vocantur, ad prætorium se conferūt: Legislatōres ad propria tribunalia: Senatores denique, & qui Cōcionatores dicūtur, ad consessus sibi contributos cōueniunt. Rursus is Prytaneū it, cui scilicet id datū est, in eo ut publico victu epuletur: alter rapitur ad iudicium, causam ut ibi dicat: in carcerē alius compingitur, ut supplicio afficiatur illic. Tum verò epulones in ciuitate celebres ad epulas legitimasq; conueniunt. Iam verò agūtur dies festi, iam ludicra solēnia: iam anniuersaria sacrificia fiunt diuis, heroesq; ritu suo coluntur: postremò inferiæ mortuis inferuntur. Sic alia ab aliis facta vno vel imperio, vel legis vna auctoritate, asseruant eum qui obtemperat.

Sic vrbs simul plena est vaporibus sacris,

Resonātque cantibus piis ac luctibus.

Hoc idem de vrbe quoque maiore, de hoc inquā mundo, existimare debemus. Deus enim nobis lex est. in omnem illa quidem partē ad æquilibrium vergēs: nullā correctionē admittens, nullam varietatem: quippe quæ potior sit illis legibus. & stabilior quæ in tabulis perscriptæ sunt. Eius enim auspiciis perenniter & compositè præeuntis, vniuersus hic celi ordo regitur atque administratur, numeros omnes concinnitatis habens: in omnis ipse naturas partitus pro vniuersitate seminū: in ea quæ herēt solo, atq; in animātia: quæ etiā suis ipsa generibus formisq; distincta sunt. Nam & vites fiunt & palmæ, & perseæ, ficique dulces, & oliuæ: ut inquit Poëta. Tum quæ fructus expertes

alios usus præstant, platani, pinus, buxi, alni, populus etiã nigra & cupressus odorata: Tum quæ autûni tempore fructum suauẽ fundunt, sed conditu difficilẽ, pyri, punica, mali. At verò animantium aliæ feræ sunt, & aliæ cicures: tũ in aëre, tum humi, tum in aqua victitantes: oriunturque & inualescunt, & deinde intereunt, legibus obtemperantes diuinis atque cedentes. Omne enim reptile (ut inquit Heraclitus) terrã depascitur atque possidet. Vnus porro Deus cùm sit, pluribus nominibus appellatus est: ab iis utique suis omnibus affectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet. Atque eum quidem tũ Zena, tũ Dia vocat, inter se cõpositis vtetes nominibus, atque è regione collocatis: tãquã duabus his vocibus significare velint, per quẽ viuimus. Is Crono, id est Saturno, & chrono, id est tẽpore ortus esse dicitur: nimirum ab æuo sempiterno ad alterũ æuum pertinens. Vocatur & Fulgurator, & Altitonãs, & Ætherius & Fulminator, & Pluius, à pluuiis utiq; & fulminibus, aliisq; operibus, è quibus vocabula ipsa deducta sunt. Quin & Frugipotẽs & custos urbium vocitatur, & Natalitius, Septitius, Cortalis, Gentilitius & patrius: videlicet à communione quæ diuino ipsi numini iuxta cum rebus intercedit. Ac hæc Sodalitius & amicitie præses, tum Hospitalis, Castrẽsis, Trophæalis, Expiator, Sanguinarius, & supplex, & placabilis, ut poëtæ loquuntur: denique Seruator dicitur & Assertor: & ut semel omnia cõplectar, Cælestis & terrenus: ab omni natura sortẽque nomen adeptus, utpote qui omnium rerum author sit. Quamobrẽ quæ de ipso in Orphicis carminibus dicta sunt, haud quaquam perperã dicta sunt. Equidem necessitatẽ ipsam etiã nihil aliud quam Deum dici censuerim & intelligi: cui Anãce ex ea nomen est, quòd natura quædam sit immobilis. Eundẽque

Imarmenem, id est fatum, dictum à serie rerum conferta, inoffensoq; tenore procedente, quod alio nomine Pepromenē ideo appellauerūt, quòd ab eo omnia terminata sunt, ac nihil in rerum natura infinitum est. Quin & Mœran, id est sortem, appellatum eundem Deum à partitione rerum dixerim: & Nemesis, quasi potestatem diuinā, eius quod visum est cuique distributricem: Adrastian etiam, quasi causam quadam natura comparatam, quam fallere nemo queat aut vitare. Aesan denique dictum, quasi semper existentem. Iam quod de Parcis, & de fuso proditum est earū, eodē id etiam quodāmodo pertinet. Siquidē tres Parcas prisci tria in tēpora partiti sunt: filūque fusi partim iam peractum, partim futurum, partim iam intorqueri dixerunt: earum unam statuentes in eo quod iam profligatum est: quā Arapon ideo nuncuparunt, quoniā ea quæ iam præteriere, retrorsus agi nequeunt. Ac Lachesis functio futuris destinata est: omnium enim quæ secundū naturā sunt, sors sua quodque manet. Præsentibus autē rebus aut instantibus Clothus opera attributa est, quæ netu unicuique cōficit quod suum est. Hocq; fabulamentum rectē atque ordine compositum est. Proinde hæc omnia non aliud quicquam quàm Deum esse, planum est, ut exinius Plato censuit. Enimuero Deus (ut est vetusto verbo proditū) principium & finem, & media rerū omnium tenens, rectāque linea incedens operatur ille quidem secundum naturam, è vestigio comitem habēs iustitiæ præsidem, quam Dicen nominauerunt, diuinæ legis vindicem, simul ut quicquam sanctionum eius prætermissum est. Cuius ut sit particeps numinis, iam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam euasurus est atque fœlicem.

F I N I S.